

in 4. dist. 27. quest. 1. art. 3. quasiunc. 2. in corp. In Matrimonio duo vincula notanda sunt; spirituale unum ex solo consensu natum; carnale alterum ex copula conjugali. Quemadmodum ergo per mortem carnalem solvitur vinculum natum ex copula carnali; ita etiam per mortem spirituale spirituale vinculum dissolvitur ex solo assensu derivatum; Cum ergo religiosa professio sit mors spiritualis, per hanc etiam matrimoniale vinculum dissolvitur.

Peritur altera ex eo quod subdit Christus Gen. 2. ubi postquam pronunciavit, conjugatos per carnalem corporum commixtionem fieri duo in carne una, statim hæc subdit: Quod ergo Deus conjunxit homo non separet. Quæ non nisi de Matrimonio consummato exponenda uno ore docuerunt S. Ambrosius in Lucam ad cap. 1. & lib. de Institut. Virginitatis, cap. 6. & 7. S. Joannes Chrysostomus Hom. 4. in Matb. Benedictus VIII. Gregorius I. Alexander III. & Innocentius III. Cum ergo per Matrimonium ratum non fiant una caro; per consequens potest hoc Matrimonium religiosa professione dissolvi. Quæ sane ratione superius ostendimus, Summos Ecclesiæ Pontifices licitum fecisse conjugum alteri non obstante Matrimonio rato religiosam vitam suscipere. Et sane licet per Matrimonium ratum non consummatum accipiat uterque conjugum jus in corpus alterius; nihilofecius corpus unius nondum perfecte translatum est in potestatem alterius, cum hæc non nisi per copulam recipi possit.

Alteram tandem colligi potest ex ratione significationis Sacramenti: Matrimonium enim ratum tametsi Sacramentum non est à Christo Domino eventum ad significandam indissolubilem Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesiâ unionem; cum sola copula carnalis, quæ duo fieri in carne una Christus pronunciavit, eam exprimat unionem, quæ ex duabus naturis humana scilicet & divina fit una persona, & ex Capite Christo, & Ecclesiæ membris fit unum corpus; eamque duntaxat ut ratum conjunctionem significat, quæ Deus unitur animæ ut Sponsa mediante gratia & charitate; Quam solutam proferus quis neget statim ac incidit in peccatum?

Quæ cum ita sint, videamus nunc, quæ suffragia querunt Adversarii, ut probationum, quas usque modo protulimus, vim ac robur infringant.

Ajunt itaque loco primo, Matrimonium esse ipso jure naturæ indissolubile ex hoc solo quod ratum est; & ideo indissolubile appellari, quia non solvitur nisi per mortem. Nequit ergo per religiosam professionem alterius conjugum solvi.

At hæc mera æquivocatio est. Primo: quia damus & nos, ultro citroque concedimus Matrimonium esse jure naturæ insolubile, nec nisi per mortem dissolvi posse, quamdiu tamen ambo civiliter & naturaliter vivunt, secus vero si conjugum alter naturali aut spirituali morte moriatur. Spiritualiter porro quis moritur per religiosam professionem, quæ ita se Deo vovet, ut nec sui corporis potestatem retineat, cum Deo se parvum castitatis consecrat, nec voluntatem habeat, cum per obedientiam votum sese imperio Superiorum adstringat. Iccirco videmus, civiles & canonicas leges quæcumque testamenta ante religiosam professionem condita tanquam per mortem confirmare; adeo ut nec revocare, nec aliud quidpiam superaddere religiosis in posterum concedatur, ut expresse habetur in Auth. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis. Auth. si qua mulier.

Quin & illud addiderim, Matrimonium ut sic esse quidem suapte natura insolubile, sed plus minusve, pro ut plus minusve significat rem indissolubilem. Et certe: Matrimonium ratum non est ita insolubile ut consummatum; quandoquidem istud significat unionem Christi cum anima, quæ separatur per peccatum. Econtra consummatum significat unionem Verbi cum Natura humana & Christi cum Ecclesiâ, quæ inseparabilitatem importat. Imo spectato jure naturæ etiam Matrimonium legitimum contractum in infidelitate est indissolubile, ut habetur cap. Gaudemus & cap. quanto, de divoritiis; & tamen aliquando solvitur etiam ubi consummatum est, non quidem ex ipso alterutrius baptismo, Can. si quis, Causa 28. quest. 2. Sed ex renitu & perversitate relicti in infidelitate, ut colligere est ex Innocentio III. Cap. Quanto, de divoritiis. Et Can. si infidelis. Causa 27.

Peracta igitur prima eaque potissima disputationis parte, restat ut videamus, quod secundo loco proposuimus; videlicet quæ jure professio religiosa dirimat Matrimonium ratum non consummatum. Quæ de re mirum, quam diversa fuerint nostrorum Theologorum Sententia. Putarunt enim nonnulli, dirimi solo jure naturæ; Alii solo jure Pontificio, seu Ecclesiastico; Alii tandem jure divino positivo concedente Christo hujusmodi privilegium statui Religioso. Quod in me est; primis assentiri minime possum, tum quia tantum abest spectato naturæ jure, ut per Religionis ingressum dirimat Matrimonium, quia potius ratum Matrimonium videtur irritare votum solemnne subsequens castitatis: quia res uni tradita alteri tradi nequit sine Domini consensu, ac nisi interveniret divina Constitutio derogans juri naturali conjugum. Uti profecto liquet in Deipara Virgine, quam antequam nuberet Josepho, divino assensu cartaque revelatione admonitam voluit plerique non infima notæ Theologi, Josephum tradita sibi in corpus ipsius potestate nunquam usuram, nunquam debitum petiturum; seu quod votum virginitatis nuncupaturus esset & ipse, seu quod Deus mentem ejus a petendo debito esse averfurus. Quod idem ferme, alio licet modo Cecilie Virgini contigit, quæ Angelo virginitatis suæ custode munita atque protecta, nupsit citra periculum Valeriano; probe sciens, Angelum aut a petendo debito Valerianum avocaturum, aut congressum maritalem quovis tandem modo impediturum; Tum etiam quia vinculum Matrimonii ex natura sua non est incompatible cum religiosa professione votoque castitatis. Quot enim virginitatem in Matrimonio coluere ex mutuo scilicet consensu, ac utroque conjugis juri suo petendi debiti renunciant? Quocirca Augustinus lib. 2. de Consensu Evang. cap. 1. Eriam servata pari consensu continentia, potest remanere vocarique conjugium, non permixta corporis sexu, sed custodito mentis affectu.

Nihil magis assentior secundis, qui Matrimonium ratum per religiosam professionem dissolvi jure Pontificio seu Ecclesiastico volunt. Quia Pontifex in iis, quæ juris naturalis & divini sunt, nequit dispensare; Matrimonii porro insolubilitatem esse naturalis & divini juris, sat bene in antecessum ostendimus. Sed etsi daretur etiam posse in casibus extraordinariis dispensare, ut autumant recentiores nonnulli, non potest tamen communem legem edere derogantem juri; nam sic dispensatio non esset, sed integra relaxatio.

Restat igitur, ut solvatur jure divino seu auctoritate Christi ita dispensantis in favorem religionis. Quæ de re frivolum est, quod nonnulli jactant in contrarium, nimirum votum non dirimere nisi fit solemnne; & solemnitate non nisi ex jure Ecclesiastico derivare; quod probant ex Bonifacii VIII. responso dato Episcopo Biterrensi

si Cap. unico, de voto & voti redemptione, in 6. his verbis. Cum voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit inventa, Matrimonii vero vinculum sit ab ipso Deo, illud votum debet dici solemnne quod per susceptionem sacri ordinis aut per professionem in Religione approbata solemnizatur.

Cap. unico, de voto & voti redemptione, in 6. his verbis. Cum voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit inventa, Matrimonii vero vinculum sit ab ipso Deo, illud votum debet dici solemnne quod per susceptionem sacri ordinis aut per professionem in Religione approbata solemnizatur.

In promptu responso est. Bonifacius enim eo loci loquutus est de solemnitate accidentali & ceremoniali, quæ consistit in iis ceremoniis, nimirum benedictione & consecratione, quæ ex Statuto Ecclesiæ in ea solemnne acceptatione adhibentur, non autem de solemnitate substantiali & essentiali, consistente in ea traditione solemnne sui ipsius, quæ fit in manu superioris vicem Dei gerentis, quæ est de jure divino.

Sed esto etiam a sola Ecclesiâ votum solemnitate habere; a solo Deo tamen obtineret, quod Matrimonium ratum dirimeret, eo plane modo quo sicuti Sacramentalia a sola Ecclesiâ constitutione introducta sunt, nihilofecius effectus, quem præstant, scilicet remissio venialium a solo Deo dependet.

An non vero Deus in favorem pariter Religionis dispensavit in Matrimonio etiam consummato, ut per professionem religiosam dirimi posset, altero licet conjugis dissentiente? Certe quæstionem non vacat difficultate, nec desunt Theologi & jurisperiti, qui hoc idem de Matrimonio consummato didicerunt, nisi primo: Statuto Justiniani Imperatoris L. finalis Cod. de Episcopis & Clericis; & in Auth. Cod. de Nuptiis, ubi sine exceptione facultas conceditur conjugatis posse religiosam vitam amplecti. Secundo: S. Basilii testimonio quest. 12. inter regulas fufius explicatas, ubi ait, virum posse religionem ingredi etiam invita uxore, si illa rogata consensum pertinaciter neget. Tertio: Exemplo Theonæ Abbatis, qui ut videre est apud Cassianum Collat. 21. cap. 9. uxorem suam dissentientem reliquit, & monasticam vitam amplexus est.

Nihil magis minus iis nihil repugnantibus nullam extare hujusmodi dispensationem multa me movent, quamquam vel hoc unum, etsi desisset alia, abunde sufficeret. Quia Apost. 1. ad Corint. 7. prohibet, ne conjuges invicem defraudent conjugali debito, nequidem ad vacandum orationi, nisi forte ex consensu ad tempus. Secundo: quia fieret injuria uxori, cui jus quod habet in maritum, adimi nequaquam potest. Sed ad rem ipsam veniamus. Legem quam proferunt Justiniani Imperatoris, in primis legitimus a Divo Gregorio Magno reprehendi, atque damnari tanquam legi divine contrariam lib. 9. Epist. 39. citante Gratiano in Decreto Causa 27. quest. 2. Cap. si qui & Cap. Agarbofa. Secundo: in citatis Basilii verbis nil quicquam continetur, quo cogatur de Matrimonio consummato ea interpretari. Tertio: factum, quod asserunt, Theonæ Abbatis in exemplum trahi nequit, quem fortassis ignorantia juris excusavit. In hujusmodi enim casu non modo petenda, sed etiam est impetranda licentia, uti fratrem & sororem S. Bernardi fecisse legitur.

PRÆLECTIO IX.

In Matrimonio inveniendis solum filiorum contrabentium assensum necessarium esse, propugnatur.

DE Consensu ad Matrimonium requisito in presentia dum querimus, non id revocamus in dubium, an debeant filii consensum parentum ut ut maxime sequi; Cum id præter maximam, quæ debetur iis, reverentiam, bene multum

Serry Tom. IV.

lis liqueat Scripturarum exemplis. Legimus enim Gen. 28. Jacob, ut obsequeretur consiliis Patris sui, qui præceperat, ut non acciperet uxorem de filiabus Chanaan, ivisset obedientem in Syriam, & duxisset in uxorem Melech filiam Hamaelis filii Abraham; Legimus & Jud. 14. Samsonem sine consensu parentum mulierem, quam adamabat, ducere noluisse.

Quin & hoc ipsum manifestissimum evinci potest, ubi Canonum, Conciliorum, Pontificum, & Ecclesiæ Patrum testimonia paulo penitus considerentur, & præcipue S. Ambrosii lib. 1. de Abraham cap. ultimo, S. Leonis Epist. ad Rust. aliorumque bene plurimæ.

Illud ergo summo studio querendum est nobis, an hujusmodi consensus in contrahendis conjugis ita prærequiratur, ut assensus filiorum minime necessarius videri possit. Nos itaque ubi primum Scripturarum momenta dederimus, palam faciemus in Matrimonio filiorum, solum eorundem assensum esse necessarium.

Hujusce rei decretorum testimonium habemus primo Gen. 24. ubi de Rebecca Isaac copulanda hæc habentur: Vocemus puellam, & queramus voluntatem ejus.

Non abimile legitimus Numer. ultimo de filiabus Salphaad: Hæc lex super filiabus Salphaad a Domina promulgata est: Nabant quibus volunt, taurum ut sua Tribus hominibus. Multo vero disertius 1. Corint. 7. Cui autem vult nubat taurum in Domino. Quo certe nihil ad institutum disertius desiderari a quoquam potest.

In id etiam consentire videntur Ecclesiæ Patres, quos inter præcipui sunt Ambrosius & Augustinus. Ille enim lib. de Virg. cap. 10. de hujusmodi assensu sermonem habens hæc ait: Si hominem vellet amare filia vestra per leges possunt eligere quem vellet. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum eligere non licebit. Illud idem & Augustinus licet non iisdem verbis pronunciat Epist. 254. alias 233. ad Benenatum de puella quadam rescribens viro nondum maturo, de cujus Matrimonio agebatur. Fortassis quæ nunc non apparet mater, apparebit & mater, cujus voluntatem in tradenda filia omnibus ut arbitror natura præcipit: nisi eadem puella in ea jam ætate fuerit, ut jure licentior sibi eligeret ipsa quod vellet. Quam certe loquendi formulam necessarium innuere filiorum assensum, æquis non videt?

Quid ni quoque dicamus in majorem statuta sententia probationem varia ea de re statuta decretaque perlegi posse. Ita legitur cap. tua fraternitas, extra de desponsatione impuberum, quod Hormisdæ Pontifici tribuitur. Tua fraternitas requisivit de filio adulto, quem Pater Matrimonium vult contrahere, si sine voluntate adulti filii facere potest. Ad quod dicimus, si aliquo modo non consentire filius, fieri non posse.

Habemus etiam Canonem si verum, qui tribuitur Urbano Pontifici Causa 31. quest. 2. Habemus & Canonem de Neptis, quod responsum dicitur Urbani II. Sanctio Regi Aragonum datum, cujus hæc sunt verba. Neptis tua conjugio, quam te cuidam militi daturum necessitatis instante articulo sub fidei pollicitatione firmasti, hoc equitate distante decernimus; Ut si illa virum illum omnino (ut dicitur) renuit & in eadem voluntatis auctoritate persistit, ut viro illi proferus se denoget nuptiarum, nequaquam eam invitam & renitentem ejusdem viri cogas conjugio sociari. Quorum cum unum corpus est, unus debet esse & animus &c. Quæ sane verba causam meam plene conficiunt.

Et ne quis tot post congesta Scripturarum oracula, summorumque Pontificum decreta dubitationem deinceps subsat, Concilium Tridentinum

M. m. m. Sess.

sess. 24. de Reform. Cap. 1. eos anathemate damnat, qui falso affirmant, matrimonia a filiis familiaribus sine consensu parentum contracta irrita esse; & parentes ea rata vel irrita facere posse.

Id certe postulabat & ratio non una sed multiplex. Primo quia contingit aliquando filios parentibus esse prudentiores. Secundo: quia Parentes quandoque sunt perverti aut suspecte religionis. Tertio: quia ex avaritia dotem procrastinant aliquando, aut certe filios uxores quererent dote divites magis, quam moribus ornatas. Quarto: quia liberas interdum in Monasteria invitos detruderent. Quinto (ut cetera mittam plura) quia in iis eligendis & constituendis, quae ad totius vitae statum pertinent liber quique est, nec cuiquam ut Domino subditur, ut conceptissimis verbis S. Thomas affirmat *secunda secunda quest. 104. artic. 6.*

Hic itaque positus, nullius erit negotii quibusvis adversa partis momenti satisfacere. Quot enim ex Veteri Testamento leges parentibus traditas profuerunt, ut inde evincant necessarium consensum parentum; uti legere est *Exod. 34. & Deut. 7. de Chananeis: nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis. . . filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo. Jeremia 29. de Babyloniis: date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris. Hoc pacto excipi possunt. Primo quia id non fuit ita parentibus traditum, ut Matrimonium filiorum nullatenus perficiatur, si parentes huic conscientia non assentiant; sed tantum ratione reverentiae & honestatis, quia cura illa & providentia ad parentes maxime pertinet: tum etiam quia maxime filiae, quae solent esse verecundiores, & ratione sexus imbecilliores indigent consilio & prudentia parentum suorum, Quod adeo verum est, ut Scriptura ipsa praebet hujusce veritatis exempla. Nam sextentis in locis ne dum requirit liberam filiorum contrahentium voluntatem, uti *Num. ultimo: Nubant quibus volumus, tantum ut sua Tribus hominibus. Gen. 24. Vocavit puellam, & queramus voluntatem eius. 1. Corin. 7. Cui autem vult nubat tantum in Domino: Sed etiam ea agnoscit vera & rata matrimonia, quae praeter assensum parentum a filiis inita sunt, quale fuit Matrimonium infans Parentibus Angeli consilio contractum a Juniore Tobia. *Tob. 7.* quale fuit & illud Judae Patriarchae *Gen. 28.* & illud Esau *Gen. 26.***

Nullius plane momenti erunt etiam leges nonnullae Imperatorum Romanorum, pleraque Digesti & Codicis *Tit. de Ritu Nuptiarum*; quae irrita vocant ea conjugia, quae sine assensu parentum contrahuntur. Vocant enim irrita quoad effectus civiles, non quoad substantiam contractus & rationem Sacramenti, cum id non pertineat ad eorum auctoritatem, *Cum alio sint leges Caesarum, alia Christi: Aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit*; ait Hieronymus *Epist. 30.* Ita Paulus Jurisconsultus *lib. 2. Sent. dist. 14.* Ita Bignonius in formulis veteribus secundum legem

Romanam; Ita Dionysius Godefridus in *L. filius de Ritu Nupt.* ita Isaacus Habertus Vabrensis *Episcopus lib. de Justitia conubialis Edicti.*

Ne quid tamen intactum relinquant Adversarii, momentum alterum petunt ex Concilio Aurelianense *IV. Cap. 15.* & habetur apud Gratianum *Causs. 36. quest. 1. Cap. de Raptibus*; ubi praecipitur, puellam raptam reddendam esse Patri, etiam si raptor ipsa consenserit. Cui statim subnectunt quod *Cap. apud Omnipotentem* decernitur; videlicet, quod cum rapta patri fuerit restituta, si voluntas parentis utriusque in unum convenerit, non prohibentur invicem raptor & rapta copulari; hincque colligunt hi necessitatem assensus in Matrimonio filiorum.

Duobus tamen hisce Canonibus uno & brevi verbo respondeo. Primus enim agit de puella, quae consenserit in raptum & stuprum, non in conjugium. Secundus vero requirit consensum parentum, quia eo in casu praesumitur puella in parentum voluntate acquiescere; Frustra igitur ex iis citatis Sanctionibus hujusmodi necessitatem evincunt.

Sed est aliud, quod multo plus movet ineptos Argutiores: non desse Evaritum Pontificem, qui hac necessitatem conceptissimis verbis dixerit. *Aliter legitimum non sit conjugium* (Evariti verba sunt *Epist. 1. ad Episcopos Africanos apud Gratian. dist. 30. quest. 5. Cap. aliter*) nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem videntur habere, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a parentibus & propinquioribus sponsetur. . . . Taliter enim Domino placebunt & filios non spurios sed legitimos atque hereditarios generabunt. . . . Aliter vero presumpta, non conjugia, sed ut adulteria, aut contubernia, aut Stupra, vel fornicationes potius, quam legitima conjugia esse non dubitatur. Quid quæso disertius ad necessitatem parentum assensus probationem?

Id prima quidem fronte efficacissimum videtur ac plane decretorium. Sed si citatum Evariti momentum intimius pensitaretur, concludendum esset nobis, non ita profecto sensit Pontificem. Et primo quidem: Alias longe multas condiciones exigit eo loci Evaritus; ut nimirum puella legibus dotetur; ut cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur; ut biduo vel triduo ante una cum Sponso Orationibus vacet, Quas tamen condiciones quis sustinet necessarias? Secundo: vocat quidem illegitimum illud Matrimonium, quod in initum sit sine voluntate parentum, sed in foro externo, non in conscientia, quia non est secundum leges, & quod sit contra leges, etiam si subsistat, in foro externo legitimum negatur esse. Tertio: hujusmodi Matrimonia adulteria & supra dicuntur juris praesumptione, non rei veritate; similitudine, non re factioque; quia meretricio magis quam conjugali affectu suscepta praesumuntur. Ita revera sensit Evaritum liquet maxime, quia subinde ea illegitima vocat, nec tamen jubet iterari aut rescindi, sed tantum gravi poena castigari.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Sacramento Pœnitentiæ.

PRÆLECTIO I.

Pœnitentiæ Sacramentum quid sit; variae ejusdem acceptiones. Infana Hæreticorum commenta eliduntur, exsufflantur.

DE Sacramento Pœnitentiæ in presentia sermonem habituri, ne vanis proloquiis ludamus tempus & operam, sub ipso statim initio notandum velim multiplicem Pœnitentiæ acceptionem; ut deinde ad ea refellenda commenta, quæ a nonnullis Hæreticis de hoc Sacramento temere conficta sunt, recto ordine procedamus. Dicitur itaque primo dolor de re quæcumque perpetrata. Secundo: Dicitur Dolor de malo admissio non Dei, sed sui causa. Tertio: Dolor de malo admissio Dei causa, non sui; Et hæc bifariam accipitur; vel pro actu mere interno; & hæc ad Pœnitentiæ pertinet, ut Virtus est: vel pro actu externo, delicta sua Ecclesiæ clavibus subjiciendo; & hæc Sacramentum est. De hac ultima differendum est nobis, quærendumque, an detur in Ecclesiæ remedium aliquid, quo peccata post baptismum commissa remitti possint.

Montanistæ, dicti etiam Cataphruges a Phrygia, unde hæresis orta fuit, dicti & Pepusiani, a Pepusa Vico Phrygia; putarunt, nullum dari in Ecclesiæ remedium, quo peccata post baptismum commissa, remittantur.

Novatiani e contra, ita dicti a Novatiano quodam Romano Ecclesiæ Presbytero, quem Novatus Carthaginensis Romam profectus in erroris sui focium assumptis, existimantur, dari in Ecclesiæ potestatem remittendi sola leviora peccata, minime vero graviora.

Lutherani tandem & Calvinistæ aliud quiddam commenti sunt: nempe remedium, quod Christus D. instituit in nova lege ad remittenda peccata post baptismum commissa, aliud non esse, quam memoriam Baptismi antea suscepti; & Fidem, qua quis credit peccata sibi per Christum esse dimissa.

Ut ergo Catholica Veritas statuatur; facturos nos opere pretium existimamus, ut ea antea Scripturarum Oracula elucidemus, quæ Montanistæ & Novatiani sententiam suam adstruere conitantur.

Produnt itaque loco primo quod legitur *Epist. ad Hebræos 6.* *Impossibile est, eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœlestis, & participes facti sunt Spiritus S. Gustaverunt nihilominus bonum Dei Verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiæ, rursus crucifigentes sibi ipsos filium Dei, & ostentus habentes.*

Huic statim subnectunt, quod ibidem legitur *cap. 10.* *voluntatis enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquunt pro peccatis hostia; terribilis autem quadam expectatio iudicii, & ignis æmulationis, quæ consumptura est adversarios. Ex quibus locis evincunt, nulla prorsus dari peccata, quæ ab Ecclesiæ remitti possint.*

Confirmant hoc vel maxime exemplo Esau, qui non invenit locum pœnitentiæ, quam lachrymis & ejulatione magno perquisivit *ad Hebræos 12.* Tum & illo Antiochi pœnitentiæ qui eam miseris

cordiam postulabat, quam consecutus non erat *2. Machab. 9.*

Novatiani vero ut probent, leviora tantum peccata esse remissibilia ab Ecclesiæ, congerunt alia multa Scripturarum momenta.

Afferunt itaque primo quod legitur *Matth. 12.* *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit Verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum, non remittetur ei, neque in hoc seculo neque in futuro.*

Huic addunt & alterum, *lib. 1. Reg. cap. 2.* *Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Deus: Si autem in Dominum peccaverit vir, quis rogabit pro eo? Si in vanum ergo (subjungunt hi) quis oraret pro eo, qui peccavisset in Dominum; profecto liquet nullum dari in Ecclesiæ remedium ad remissionem hujusmodi peccati.*

Produnt ad cumulum probationis quod habetur, *1. Joan. 5.* *qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem; peccat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis. Si ait ergo Joannes, dari remedium peccanti non ad mortem; nullum vero peccanti ad mortem: equis non videt dari peccata alia remissibilia, alia vero irremissibilia ab Ecclesiæ?*

Sed pura putæque cavillationes illæ sunt, ex mera verborum æquivocatione obortæ, tamen difertissima testimonia prima fronte videntur; idcirco breve ad singula habeto responsum.

Primum desumptum momentum ex *Epist. ad Hebræos* intelligendum existimant de Sacramento Baptismatis Patres longe multi, quos inter praecipui sunt S. Ambrosius *lib. 2. de Pœnit. cap. 11.* S. Augustinus in *expositione inchoata Epist. ad Romanos*, & S. Joannes Damascenus *lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 10.* non vero de Pœnitentiæ de qua sermo est. Et sane: Quid aliud sonant ea verba, *qui semel sunt illuminati. . . rursus renovari*, quam Sacramentum Baptismatis, quod ubique passim a Patribus Sacramentum illuminationis & renovationis appellatur? Quid etiam aliud quod subditur *rursus crucifigentes sibi ipsos filium Dei*, quam Baptisma, in quo configuramur Christo Crucifixo, qui quemadmodum nequit iterum crucifigi; ita nemo potest iterum baptizari?

Eadem via expediunt momentum alterum ibidem sumptum *cap. 10.* Chrysostronus & Augustinus; ut videlicet *hostia* nomine, non Pœnitentiæ, sed nova Christi oblatio intelligatur.

Ad ea vero quæ proferuntur Esau, & Antiochi pœnitentiæ exempla, repono cum D. Thoma *in 4. Sent. dist. 20. quest. 1. art. 1. quæstioncula 1. ad 1.* non vere pœnituisse Esau, nec eam lachrymis petiisse pœnitentiæ, quæ remitteret peccata sua; sed ut Patrem ejus Isaac pœniteret data Benedictionis Jacob fratri suo, propter quam rugit clamore magno, semperque oderat Jacob, *dicens in corde suo: Venient dies luctus Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum, Gen. 27.* Legatur etiam in *epist. ad Hebræos c. 12. lect. 3. prope finem.*

Non absurdè Antiochus: Flebat enim peccata sua, non propter divinam illam offensam, quæ præsto est vere pœnitenti; sed propter eum dolorem viscerum, quo continuo angebatur, qui